



Patrocinium Defvntorvm

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Articulus IV. Lustralium cruciatuum diuturnitas ampliùs demonstratur, & propter eam mortales ad commiserationem piorum Manium commoventur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 131

sacra numismata non semel applicantur, quiq̄ue nomina JESU, & MARIÆ piissimè invocant, & identidem sæpiùs ante mortem pronuntiant, paucos rectà in cœlum evolare, imò paucissimos: imò vix ullos saltem de vulgo. Et verò asseruit B. Veronica de Binalco, singulari religione fœmina, divinitus sibi renuntiatum, paucis ita suffragari Apostolicas litteras, seu Indulgentias, ut purgatorii pœnas experiri aliquo modo non cogantur. Vide Bollandum in ejus vitâ.

404.
Patet in
religiosis.

Deinde, si quibus id beneficii eveniret, ii maximè essent homines religiosi. Ut enim verè Bernardus, *Nonne hæc religio sancta, pura, & immaculata, in quâ homo vivit purius, cadit rariùs, surgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciaùs, purgatur citiùs, invaluat copiosiùs.* Hom. super Evang. *Simile est Regnum cœlorum homini negotiatori.* Cum ergo religiosi minùs inquinati decedant, minùs etiam fordium purgandum habent, ac proinde minor indulgentia, plena illis esse potest, quæ non esset reliquis: Et tamen licèt multis nominibus plenam acquirere valeant, studeantq̄ue, nimirum virtute instituti, variorumq̄ue numismatum, quibus, & in vitâ, & in morte utuntur, eorum aliqui per multos annos ardent flammis lultralibus, alii pro nozarum levium expiatione preces viventium dum sese ostendere datur, efflagitant. Quid igitur de cæteris licebit opinari?

405.
Et sanctis.

Quid de vitis ac fœminis sanctis dicam? Estne credibile eos indulgentiarum usum neglexisse? atqui jam inde à Silvestro Pontifice Maximo, earum in Ecclesiâ usus reperitur, & post recensentur concessæ nominatim à Gregorio Magno, Paschale I. Leone III. Sergio II. Urbano II. Urbano IV. & cæteris. Igitur & Sancti, Sanctæq̄ue indulgentiarum usu Deum sibi ac potissimum proximè ante mortem conciliare conati sunt; & tamen Pelegrini, Vitalinæ, aliiq̄ue, & aliæ in tristissimum Purgatorii ergastulum conjecti, nec parumper eò detenti sunt.

406.
Ideo sibi
consulendum.

Si verò etiam subinde Sancti, quorum charitas operite debuerat non multitudinem, sed paucitatem peccatorum, nec plenam in morte veniam Pontificiam obtinere, nec purgantes pœnas evadere potuerunt, quid multarum reis, & nozarum, & pœnarum expectare fas erit? Et si postremò bona opera, sacramentalia, Sacramenta, Indulgentiæ, Purgatorii tempus sæpe & in multis non contrahunt: quam meritò longa illius mora iis timendâ est,

qui quò magis ea negligunt, eò plures noxas, plusq̄ue debitorum ad Purgatorium deferunt? Itaque si qua vestri vobis cura est, O mortales, iterum, iterumq̄ue moneo, & hortor, demite de multitudine nozarum, & pariter de diuturnitate pœnarum detrahetis, frequentate diu pia opera ac Sacramenta, indulgentiasq̄ue multas colligite, & longos Purgatorii dies in breve spatium cogetis. Denique amorì divino omnia vestra devovete, & justitia nihil vestrum sibi olim vindicabit.

ARTICULUS IV.

Lustralium cruciatuum Diuturnitas amplius Demonstratur, & propter eam mortales ad commiserationem piorum manuum commoventur.

MISERIA infelix, & invisâ mater, prolem amabilissimam gignit, misericordiam, ubi pectus humanum invenit. Solet autem hæc, debetq̄ue esse major, ac vegetior, quò mater infelicior, & annis fractior. Cum ergo antehac miseræ piorum manium velut obstetricati simus ad ingenerandam Christianis animis ex dolorum acerbitate pietatem, consequitur, ut ex eorum tantâ, quantam admirati sumus, diuturnitate, eandem elicere conemur. Enimverò mali diuturnitas ipsa per sese gravis ac molesta est, quippe quia malum eò magis multiplicat, quò est prolixior. Nam si tres, ut aiunt, gradus doloris hodiè sentias, & cras, ac perendiè totidem, post triduum novem perfereris. Adde animum hominis sensim flaccessere, & qui nunc pronus est ad ferendum fortisque, velut deteri patiendo, breviq̄ue eidem dolori ferendo imparem sibi videri. Ita quod aliàs tolerabile censetur, diuturnitate fit intolerabile. Id quod egregiè expertus est facinorosus ille, qui à S. Liduinâ, cui scelera detexerat, iussus eorum in pœnam supinus immotusq̄ue unam noctem cubare, cum se molli lecto immerfisset, nec situm illum, nisi ægerrimè ferre posset, cœpit secum ipse reputare quantò molestior sibi futurus esset invariabilis in orco situs, atque demum ad meliorem vitam traductus est. Et sanè etsi virgulæ tactus, aut aciculæ punctura, aut pulicis morsus joco identidem excipiantur, tamen

407.
Mali diuturnitas
per se ma-

nemo est, qui in gravibus malis ea non numeraret, si ad duos, tresve annos essent duratura. Et si quis, ut rectè Bellarminus l. 2. de gem. columbæ c. 9. certus esset, se pedum, aut stomachi, aut capitis, aut dentium, aut calculi dolore, continuos viginti annos, sine ullâ intermissione, laboraturum, sic ut neque somnum capere, neque requiescere posset; mallet ille mori potius, quàm sic vivere. Et si optio daretur, an vellet sic tot annos vivere, an iacturam facere omnium fortunarum, promptissimo animo omnes fortunas abiiceret, ut à tam immani & tam continuo dolore liberaretur; hæc ipse. Ex quibus cum eo conficere possumus, Purgatorii poenam diuturnitate supra omnem modum horrendam esse.

408.
Maximè
Purgatorii.

Etenim si cruciatus hujusmodi, qui ad Purgatorios nulli sunt, adeò diuturnitate inhorrescant, quantum horroris incutere isti debent, quantumque doloris parere? & si eorum momentum intolerabile est, quomodo tolerabitur decennium, aut vicennium. Siquidem eò mali cuiuspiam diuturnitas gravior est, quò malum atrocius; maximè si ut in carcere expiatorio, continenter ac sine ullâ intermissione affligeret. Sed demus flammam expiaticem per se non esse adeò atrocem, concedamus D. Bonaventuræ, ejusque asseclis, minimam Purgatorii poenam maximâ hujus vitæ majorem non esse. Quin etiam addamus decuplo esse mitiorem; his etiam gratis concessis, manifestè demonstro centuplo, & longè amplius frequenter cruciare. Siquidem si de morte agatur, quæ summum omnium malorum, certè terribilissimum censetur, constat eam momento obiri. At nonne centias, nonne multò amplius horulæ spatium in Purgatoriò ut minimum exigi solitum momento est longius? Si verò de diuturnis tormentis sermo est, vel morborum, vel ignis lenti, vel virgarum, vel hujusmodi: comparèmus primùm illa cum suppliciis purgantibus diuturnissimis mille & amplius annorum; perspectum est tormenta hujus vitæ longissima centuplo brevius minusque cruciare. Quia lentus ignis trium circiter horarum spatio hominem necat; virgæ si atrociter infligantur, teneris præsertim partibus, aut corporibus, haud scio an diutius in earum perpeffione vita constaret. Solummodò difficultas est de morbis, aliisque cruciatibus sæpius iteratis; at hi, ut plurimum, si summus est dolor, brevi sensum adimunt, mortemque accelerant; sin autem est mediocris, diu quidem durare possunt; at & somno intermittuntur, & re-

focillamentis leniuntur, & remediis minuuntur. At in Purgatoriò nulla omnino quies, nulla poenarum intermissio, perparum solatii invenitur: atque ut remittat dolor, diuturnitate profectò molestissimus est, & multis est probabilius minimè illum remittere, certè optabilius piis manibus esse videtur ut eò citiùs Deo fruantur.

Verùm fac remittere, fac totâ vitâ durare morbos, ac tormenta, ut calculum, & ejusmodi; quid vitæ spatium ad mille & amplius annos? Et quis non mallet acerrimâ febris exuri ad mensem, quàm hecticâ tabescere ac languescere totos quinquaginta annos? Jam si ordinaria vitæ tormenta cum ordinariis Purgatorii compares, hæc quoque illis centuplo diuturniora comperies. Atque ego quidem ea voco ordinaria Purgatorii supplicia, quæ sunt hominum mediocum, inter probos improbosque: quia rariùs quidem, sed mortalia tamen admittunt (Pone singula singulis mensibus) venialia autem promiscuè, & vel joci causâ cumulant: cæterum indulgentias rarissimè quærunt, rarò obeunt Sacramenta: & iterum aio centuplo diutius graviusque in Purgatorio cruciari, quàm qui ordinaria hujus vitæ tormenta patiuntur. Enimverò mille ducentos Purgatorii annos exigerent sola venialia, si vicena singulis diebus annorum sexaginta tribueres, & singulis venialibus unicum poenæ diem, singulaque disjunctis temporis spatiis plecterentur. Porro unicum mortale longè prolixius Purgatorii tempus per se exigit, quàm tot venialia; tamen multa & venialia, & mortalia illis quos descripsi hominibus assignanda sunt: quantum igitur tormentorum spatium? Sed redige illud ad annos centum; redige ad quinquaginta, sive quia diuturnitas gravitate compenatur, sive quia confessionibus, Synaxibus, bonisque operibus, veniam aliquam obtinere: nonne sat multum illis concesseris? At nonne etiam quinquaginta annorum tormenta Purgatorii, diuturnitatem gravium, & ordinariorum hujus vitæ tormentorum centuplo superant, cum supplicia eorum singula, ne horulæ quidem occupent quadrantem?

Mirum dictu! unica de vitâ functis anima post vitam non improbè, non injustè peractam, diutius hæere posset in lustrationibus tormentis, quàm octingentis mille latrones in crurifragio, licèt singulorum supplicio dimidiatam horam assignes. Quia nimirum illa quinquaginta annis torqueri potest, & omnes illæ dimidiatæ horæ non tot annos conficiunt. Mirum etiam cogitatu, & omnium mortalium commi-

409.
Quantum
crucietur
ordinaria
mora, esse
pena esse
mitior.

410.
Diximus
omnino
quàm omnes
latrones, aut
Martyres.

commiseratione dignissimum ! Innumeri Martyres, innumerique prædones, ac malefici, non tam diu conflictati sunt cum omni genere tormentorum, nec ad diem usque extremi Iudicii conflictabuntur, quam diu torquentur, aut torqueri digni sunt aliqui manes in Iustitiam carcere, quippe qui ad mille & amplius annorum tormenta continua adjudicati sunt. Et quis non videt innumera illa Martyrum, prædonum ac maleficorum tormenta non potuisse, aut posse, tam ingens temporis intervallum occupare ? neque verò dicas nonnullos Martyres, ut SS. Clementem, & Agathangelum pluribus annis excarnificatos fuisse : nam & hi paucissimi sunt, & eorum tormenta diutissime intermittebantur, & cum repeterentur, fortè vix horam durabant. At piorum manium pœnæ sine ullâ intermissione, diu noctuque continuantur, nec ullam quietis partem eis umquam permittunt. O igitur moræ tormentum grave supra omnem modum ! O sanguineis lacrymis mortalium omnium dignissima, vel unica è sanctis anima, quæ tam longo tormento digna est !

411. Cæterum acerbitas illius tantæ moræ ingravescit ex hisce capitibus. Nam animæ dum judicantur, uti peccatorum gravitatem, ita cum pœnarum gravitate diuturnitatem illis commensam ex Iudice cognoscunt; nec deinceps ejus memoriam ex animo delere possunt. Quare jam inde ab initio, & deinceps totam pœnarum molem ac molestiam animo quasi congestam, & totam quodammodo præsentiant. Etenim quemadmodum vehementer ille gaudet, qui non modò optatis potitur, sed unâ cognoscit diu sese illis potiturum, ita contra cognitio diuturnitatis cruciatûs, quem præsentias, dolorem non parum exaggerat. Quod si etiam in humanis brevium malorum certâ provisio molestissima est, *Morsque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.* Si Orosius Diego Hispanus auditâ mortis sibi subeundæ sententiâ, ita turbatus animo, & afflictatus fuit, ut nocte una incanuerit; unde extat versus: *O nox quàm longa es, quæ facis una senem !* Quantopere miseris animas excruciat cognitio tantæ diuturnitatis tantorum tormentorum !

412. Verùm altera notitia miserum in modum exacerbât, nempe exorbendam illam esse in pœnam, brevissimæ, quàm peccando hauserunt, voluptatis. Heu gravissimè dolent ad se spectare hoc Ezechielis vaticinium c. 23. *In viâ sororis tuæ animæ deliciis dedit ambulasti: & dabo*

calicem eius in manu tuâ; vis scire quem calicem ? Hæc dicit Dominus Deus: calicem sororis tuæ bibes, profundum, & latum, profundum, inquam, pœnarum magnitudine, & latum earumdem diuturnitate. Eris in derisum, & in subsannationem, quæ est capacissima, Ebrietate, & dolore repleberis, calice mæroris, & tristitia: & bibes illum, & epotabis usque ad faces, & fragmenta eius devorabis, & ubera tua lacerabis. Quæ omnia demonstrant, voluptati, quæ peccato vix percipitur, tum reponi acerbissimam tristitiam, tum eam diu, & ad ultimam velut usque guttam exhaustiri. Itaque hoc ipsum experientiâ suâ dum probant defuncti; Heu amarissimè lamentantur, fuisse olim in sua potestate facile, & unico die persolvere, quod solvendum est spatio unius anni Purgatorii, & neglexisse. Cæterum id infauitæ sortis repræsentatum est divino isto ad eundem Ezechielem mandato cap. 4. *Et tu dormies super latus tuum sinistrum, & pones iniquitates Israël super eo numero dierum, quibus dormies super illud, & assumes iniquitatem eorum: ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum trecentos, & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Israël: & cum compleveris hæc, dormies super latus tuum dexterum secundò, & assumes iniquitatem Juda quadraginta diebus, diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Ubi Deus unicum pœnæ diem Ezechielis tolerandum assignat in satisfactionem pœnæ animæ criminibus debita, quasi dicat, inquit Cornelius, pro annis trecentis nonaginta iniquitatis Israelitarum, iniungo tibi pœnam decubitus super latus sinistrum per trecentos nonaginta dies. Pro annis verò quadraginta peccatorum Juda, cubabis super dexterum totidem dies quadraginta. Quàm Numinis clementiam piæ manes sibi, dum vita manebat, proposuerant, sese floccipendisse, gravissimè jam ferunt: quando ex adverso iisdem indicitur annus gravissimi supplicii pro die, imò pro horulâ voluptatis, quasi & illis intonet Deus funestam illam in Israelitas murmuratores sententiam nu. cap. 14. *Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram, annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam.* Sed quid annum pro die reddi memoro ? Heu gemunt, & dolentissimè ferunt memoriam voluptatula brevissimo tempore præteritæ, quinquaginta subinde, imò, & centum pœnæ annis adjudicatæ, quod ex historiâ Alexandræ illius Hispanæ à nobis supra*

relata colligitur, & pari ratione homicidis, adulteris, constupratoribus pertimescendum est.

413. *Supra motem panatum omnium humanum.* Itaque magno quidem constitit Davidi Regi oculorum conjectus in Bersabee, quot enim flagitia, quot, & quam diuturnæ calamitates inde secutæ? magno quoque Roboamo stetit durior ad populum responsio, quâ factum ut decem tribus Israeliticæ ab eo deficerent, & pluribus annis divisæ remaneret: magno denique redemisset Theodosius Imperator datam militi facultatem, unius Ducis necem à Thessalonicensi plebe patratam ulciscendi: hæc enim ultio non nisi septies mille Thessalonicensium cæde expleri potuit; & multis lacrymis, multaque per octo menses submissione, ac penitentiâ Cæsari constitit. Sed viditne sol iste aliquando tam diuturnam, gravemque poenam tam brevi noxæ imponi, quanta imponi solet in carcere expiatorio? Itaque maximè in illos, qui eo detinentur, quadrat Caroli Borbonii lemma. Cùm enim exprobratum illi esset, nullâ causâ, atque ut Gallicè dicitur, *pronibilo*, turbatam ab eo Galliam, ipse in insigne sibi sumpsit globum terrestrem filo è nubibus pendulum, cui circum adscripsit hoc lemma; *de nihilo res magna*, Gallicè, *de rien choses grandes*, & sanè voluptulæ momentum nihil est ad centum, & amplius annos incendii expiantis.

414. *Item quod omnium omnium juvenur qui diu Purgantur.* Porro his accedit tertia causa aegritudinis animarum, ex tam longâ Purgatorii morâ. Nam quæ diutissimè illic conflagrant, minimè omnium adjuvantur. Quippe quòd jam vel fugiant hominum memoriam, propter temporis, ex quo decesserunt, diuturnitatem, vel quia nullius opis indigere credantur; vel quia posteri proximos parentes pœnis eximere magis student, & dum pauculas preces horum saluti impendère, piget alias Majoribus destinare. Quis animum induxisset Ludovicum Pium Imperatorem adhuc precibus egere ad levamen pœnarum post elapsos triginta & amplius à morte annos? Cùm Regibus, & Imperatoribus tot preces, & sacrificia privatim, ac publicè per totum Regnum & Imperium destinentur? Ipse tamen post tantum spatii, Ludovico filio, atque in Imperio successor, nocte quadam precanti, interposito Christi nomine supplicavit, ut se tormentis, quibus cruciabarur, liberaret, quo demum vitæ beatæ particeps posset effici. Quo viso ita percussus fuit filius, ut è vestigio omnes Regni sui viros Religiosos per litteras obnixè flagitarit preces,

ac sacrificia, pro parentis defuncti obtinendâ libertate. Quis Hugonem Petrapontium, Episcopum Leodiensem non virtute minus, quàm genere nobilem, non brevi cœlo positurum speraret, cui in preces incumbenti divina bonitas eam pietatis suavitate impertiebatur, ut uberissimo sæpè lacrymarum imbri perfunderetur, quippe his temporibus floruit, quo Joannes Abbatulus, B. Lutgardis, B. odilia, B. Simon Alnensis, utraque Ida, B. Maria Oegniacensis, Juliana, Eva, Joannes Nivelensis, aliique, & aliæ Sanctimoniâ florebant. Qui insuper duobus ante mortem annis scripto testamento, Cisterciensibus aliquot Abbatibus crediderat triginta duo marcarum millia, eoque amplius, quæ post mortem erogarent, partim in eos quibus teneretur, quocumque nomine, partim in ædes sacras, Asceteria, egenos, viduas, pupillos per totam Dicecesim. Qui denique Ecclesiâ Leodiensi annis viginti novem feliciter administratâ, bonis omnibus acre sui desiderium reliquerat. Quis, inquam, talem, tantumque virum non paucos annos hæsisse in flammis lustralibus, & à suis derelictum crederet? Et tamen *vide*, inquit, noster Fisen, ex quò hæc deprompsi, *quantum rationes humana dissideant à divinis*. Non diu decesserat Hugo, quando se cuidam videntum exhibuit (B. Odiliam fuisse putat Transmosanus) affirmans se quidem æternos cruciatus evasisse, aliis tamen longè acerbissimis purgari, donec cœlitum choris inferi mereretur. At cùm sensim, ut humana fere sunt omnia orantium pro illo studium se remitteret, pridie Pentecostes Sacerdoti (eum item Transmosanus autumat fuisse Joannem Abbatulum) suo quondam necessario in lectulo quiescenti, horrendo ejulatu somnum excussit. Evoluta deinde annorum quinque spatio ad eundem Sacerdotem rediit, questusque graviter à cæteris omnibus in durissimâ necessitate se deseri, ejus saltem quàm maximè suppliciter opem imploravit. Suam omnem operam ille liberaliter promisit, nec impendit segnè, factumque est ut post breve tempus idem ille Sacerdos Hugonem in cœlum viderit intrantem, deducente clarissimo frequentium Episcoporum agmine. Ita Fisen in illius vita a. 12. Non est cur de aliis hîc loquar sigillatim: tantummodo id peto, si etiam Reges, post aliquot annos à morte, & negliguntur, & oblivioni traduntur etiam ab iis, quos beneficiis maximè expetitis affecerant, quique illos vivos venerabantur, ut quosdam deos; si Præsulibus optimis idem obtingat; quid

quid futurum censeamus vulgaribus hominibus, quorum funeri adfuisse satis, & plus satis, compluribus videtur? Quid iis, qui & ipsi neglexere defunctos, & progeniem reliquere parentibus vitiosiore? Equidem ita existimo, plurimos, dum migrant à vitâ, immigrantque in subterraneam illam ac tenebrosam Purgatorii specum, admirabundos offendere illic avos, abavos, tritavos, & alios majores, & ingenti propterea affici tristitiâ, sive quia eorum miseriis gravissimè commoventur, sive quia se pariter autumant derelinquendos. Cæterum si durum est tantis in tormentis non juvari à suis cum facillimè possis, quàm erit acerbum non juvari tam diu?

415. *Imo, & à suis affligantur.* Quòd si verò hoc ipsum tam durum ac crudele est, quale erit ab iisdem affligi, eoque vehementiùs, quò diutiùs in ergastulo illo flammeo commorantur! non jam loquor de parentum pœnâ, qua filii, ac nepotes, pravo usu facultatum, ab iis cum aliquo salutis dispendio partarum, illos discruciant, si quòd credibile est, in Purgatorio illum resciant, in pœnam immodici & iniqui in suos amoris: non ago de criminibus filiorum ac nepotum, quibus nimia indulgentiâ peccandi ansam dedere, proptereaque eorum notitiâ puniuntur, eoque magis, ac spatio temporis longiore, quò magis crimina illa eodem spatio cumulantur. Verùm sermo mihi est de gravissimis tormentis, quibus pios manes ex suorum, seu filiorum, seu amicorum in purgantia loca descensu conflictari necesse est. Quò enim longior eorum mora illic est, eò plures è posteris & amicis suis ea subire & perperi vident; & quis ambigat, quin cum novo & acerrimo dolore? Ut enim beatis ex novorum cœli incolarum adventu ac beatitudine nova semper lætitia obtingit, ita & piis manibus nova in dies tristitia ex adventu novorum Purgatorii inquilinorum: Præsertim filiorum, nepotum, aliorumque sanguine & amicitia junctorum.

416. *Propter amorem subventurum Purgatorium.* Quemadmodum enim amicorum bona fors gaudium amicis parit, sic & mala mœrorem. Quis verò existimet amorem à piis manibus exui, dum vitam exuunt? Quin etiam perspectum est amorem supernaturalem in iis magis excitari, tum quia rerum divinarum præstantiam clariùs vident, atque adeò pluris faciunt: tum quia animæ nepotum atque amicorum in gratiâ charitateque divinâ confirmatæ sunt. Atqui filiorum amicorumque mala, quantos in parentibus tristitiæ motus ciere solent! Indegundis S. Erme-

negildi uxor, fortissima alioqui Heroïna lectis illius ad mortem se parantis litteris, auditaque simul morte, novercæ machinationibus, carissimo marito crudeliter illatâ, visò etiam præpropere fato puelli ex eo suscepti nimirum, & ipsa brevi amore ac mœrore confecta est. Agar Ismaelis parens, cum in siticulosâ eremo consumpsisset aquam, quàm utre detulerat, jamque parvus Ismael siti emoriturus videretur, *abiecit*, inquit sacer Historicus Gen. 21. *Puerum subter unam arborem, qua ibi erat, nempe, ut commentatur Abulensis, ne videret signa cruciatu pueri in exitu animæ in vultu, & voce, & ex hoc multum afficeretur.* Et notum est parentes liberorum miseriis acerbius affici, quàm suis. Quamobrem Deus Israelitas timore urgere volens ad observacionem Decalogi. *Ego sum*, inquit, *Dominus Deus tuus, fortis Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem* Exod. 20. Quid? quòd Rex David intuens Angelum urbi Jerosolymitanæ pestem exerto ac flammivomo gladio intentantem, misericordiâ in populum permotus, pœnam in se converti petiit. *Ego sum*, exclamans, *qui peccavi, ego qui iniquè egi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt?* Cum ergo pii manes, quos longior Purgatorii mora exurit, non populum suum, non unicum filium, sed plurimam prolem usque ad quartam quintamue generationem, & amplius, comburi intuentur, quantis premuntur angustiis! quot tormenta in tot liberis perpetiuntur!

417. *Exemplo epulonis.* Et ejusmodi nimirum tormenta metuebat ille dives Epulo, cum Abrahamo diceret, *Rogo te, Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum* Luc. 16. Et si enim verè in suos misericordiæ virtute non movebatur ille perditus, et si fratrum conversionem non exoptabat, Dei hominumque osor: tamen meritò metuebat, ne si & hi incendiis æternis immergerentur, suppliciiis suis aliqua accessio fieret: quia cum eos adhuc amore naturali diligeret, non poterat in tantis tormentis sine commiseratione naturali conspiciari. Adde augendam quoque fuisse illius pœnam ex eorum consortio, quibus quippe author peccandi, & causa damnationis extiterat. Atque hoc ipsum est, quod in tantâ Purgatorii sui morâ pios manes maximè torquet, modò enim vident eos, à quibus in flagitia impulsì, modò quos ipsi impulere, modò liberos, ac nepotes in eandem secum

secum pyram conjici animadvertunt, quibus fundos, & prædia calidiùs conquirendo, meruère aduri, modò socios olim culpæ, nunc & pœnæ cernere coguntur; ex quibus, ac similibus, nova semper manat tristitia, & diuturnitatem tam infausti carceris exasperat.

418. Quæ cum ita sint, cum, inquam, tam longæ sint in ardente illo ergastulo moræ, & cum diuturnitas ipsa mali etiam facilis tum per sese, tum ratione adjunctorum, illud reddat intolerabile: *Miseremini* piorum manium, ô Christiani, ô mortales, amicorum defunctorum, quantum humanitas fas est, *miseremini*. Siquidem tanta existit eorum calamitas, vel ex solâ diuturnitate, ut omnem commiserationem humanam excedat. Quippe cum plurimorum Martyrum, ac latronum longissimos cruciatus sæpe unius animæ Purgatorium morâ superet; illi autem cruciatus omni humanâ commiseratione digni videantur, consequitur unicam talem animam omni hominum miseratione dignam esse. Quid igitur de universis sentiendum? Certè negari nequit, quin si in medio foro concremaretur quispiam vir probus, & insons, cujus supplicium divinitus annum duraret, & infinita vis hominum undique concurreret ad spectaculum, nemo tam faxeus esset, qui tantâ supplicii morâ non intimè commoveretur. Quid si ad centenos annos perduraret? nonne totum probè orbem admiratione sui, & commiseratione continenter impleret? Atqui ducentis ac trecentis, atque amplius annis, lustralis flamma nonnullos perurit.

419. Cum ergo horum singuli, omnium mortalium misericordiam mereantur, quid universi? cum illis misratio debeatur, quamdiu tormenta durant, profectò nullus est ex piis manibus diuturnæ pœnæ destinatis, cui juvando plusquam universim vitæ tempus, si liceret, impendere non deberemus. Quantum igitur reddemus, si parentibus, amicisque nostris adjuvandis, quorum haud dubiè non pauci diu in Purgatorio attinentur, pauculas vitæ horas infumamus, & quàm parum, quàm nihil universis piis manibus daremus, si vitas mille, ac mille iis sublevandis addiceremus, maximè cum eò plures sint, quò pœna diuturnior. Cum enim quot diebus permulti in illum carcerem conjiciantur, ex quibus pauci citò eripiuntur, nonnulli diutissimè, id est, ad centenos, ac centenos annos in eo jaceant, plures ad quadraginta, quinquaginta, aut circiter, nimirum longè maximam multi-

tudinem simul cruciari necesse est, atque adeò simul misericordiæ opisquæ nostræ indigere.

Ergo ô mortales, ô Christiani, iterum 420. iterumquæ vos obtestor, tantæ multitudinis animarum Deo fidelium, tantæquæ *Ergo miserandum.* earum ex tam longâ morâ calamitatis, miseremini. Mementote, quæso, iterum quos animorum motus in mortalibus concitare solita sit supplicii, aut miseræ diuturnitas. Latro quidam plurimorum cæde nobilis, in Aultriâ inferiore in rotam actus est, cruribus solùm fractis, producendæ morti in gravius reo supplicium: jamquæ dies in vesperam ibat, cum numerosus populus affluere, illi solari, isti commiserando lacrimari, alii Deum orare, ut lento tormento, quod triduum duraturum credebatur, brevi finem daret, & revera sub occasum solis cum copiosus imber defluxisset, ipse pœnâ simul & vitâ defunctus est. En triduanum supplicii sola formido spectatores ad intimam ardentemquæ commiserationem commoveret. Quid efficere deberet vera combustio trecentorum annorum?

Ægrotabat quispiam è Societate nostrâ 421. juvenis, necdum sacris initiatus, sed sen- *Religiosorum Societatis IESV.* su ac virtute senilem prætergressus ætatem. Igitur ingravescente in dies morbo dixit in aurem Socio familiari; *O mi frater, ora, quæso, Deum: grandis enim mihi imminet tempestas*: vix dixerat, cum pectus æstuarè, ardere, premi, frangi quæ scapula, humeri, tergum, caput totum tremere, perpungi, lancinari. Quid plura? omnibus membris, ossibus, nervis, medullis, atque visceribus intimis defævire malorum nec visa, nec audita colluvies. Stupere interim omnes, commiserescere, precibus ad Deum fufis juvare, blandis vocibus consolari æstuantem: ipse patienter agere, Numinis clementiam, Virginis matris opem implorare. Perstitit hoc malum integras viginti quatuor horas. Quo spatio exacto posuit tempestas, & æger tandem in portu fælicitatis æternæ consistens, tantæ rei causam explicuit. Petiisse nimirum se à Deo perquam obnixè, ut Purgatorii pœnas sibi ante mortem infligeret, quibus perfunctus liberè rectaque in cælum posset evolare: postulatisquæ Deum annuisse, nec voto frustratus placidè sancteque in Collegio nostro Eborensi vitam hanc mortalem cum immortalis commutavit. Vide Benedictum Fernandum in cap. Gen 35. sect. 10. Cæterum si umbratile illud Purgatorium quatuor, & vicenum horarum, adstantes tantopere commovit, quantò vehementiùs commovere nos deberet, non

418. *Unica anima omnium mortalium commiseratione digna est.*

419. *Quantum omnes.*

Patrocinium Defunctorum. Lib. I. 137

non vicenum horarium, mensium, aut annorum, sed plurium lustrorum verum animæ incendium? Quid si illud oculis usurparemus, quemadmodum insignium interdum reorum ustulationem? Contigit sub annum 1605. ut Antuerpiæ, celebri Brabantiaëmporio, vir nefarius ob multas & atroces hominum cædes ignis supplicio adjudicatus, vestimento pice illico, tertio in ardentem rogam injici juberetur. Aderat insolito supplicio vis hominum propè infinita. Injectus est igitur primùm, atque illico undequaque ardens catenâ extractus. Id spectaculi cum horrendo infelicis rei eulatu ita permovit omnes, ut oculis auribusque illud minimè ferentes, statim uno ore misericordiam à Judice supplicissimè flagitarint. Ipse qui hominis salutem procurabat, Sacerdos è Societate Jesu, eum obnixissimè rogavit, ut secundo immerfus non extraheretur; nec difficilè impetravit, cum & Judicem, & quemvis alium utcumque crudelem, tam atrocis tormenti miseratio patronum rei fecisset. Ergo brevissimum nefarii hominis veste ardentis conspectum ferre non possumus, & parentum amicorumque nostrorum intima longissimaque incendia, immoti planeque sicci negligemus?

422.
Nam omnia sensim molliuntur.

Atqui immitis ingenii est, objectâ alterius gravi calamitate, non statim emolliri ad misericordiam, quale igitur, tot annis illos omni fermè ope destitutos deserere? Quid? guttâ cavat lapidem, ignis durissima quæque domat, tempus exedit omnia, neque imbres, ut sic loquar, assidui lacrymarum sanguinearum, quas perpetim effundunt manes piissimi, neque eorum ignis multò acerrimus, neque tam diuturnum tempus, mortalium pectorum chalybem frangere valebit? At si cruciatuum tanta mora vos, ô Christiani, non tangit, tangant saltem preces vestrorum manium, heu! toties tanto temporis spatio repetitæ. Eas enim continenter fundunt; eas per tabellarios alterius mundi, Angelos, inquam, vobis insinuânt, ipsosque ad se revinentes, singuli singulos sæpius interrogant, hisce

Propheta Isaiaë verbis. *Custos quid de nocte? Custos, quid de nocte?* Quasi dicant: quò demum evadet hæc nostra nox? hæc, horrenda calamitas? Eritne adhuc diuturna, an brevi vertetur in lucem? Quibus unusquisque Custos responderet, *venit mane, & nox*, id est illucescit quidem mane, sed, heu! vobis manet vestra nox! heu misera! hic hære vos volunt vestri, cum à nobis intus in animo de incendio vestro sæpius moniti crudeli silentio nos repulerint.

Verùm si hæcenus repulistis, ô Christiani, tandem eos audite. Nam precis tam miserabiliter ardentis importunitas, etiam Judicem impium, Christo authore, ad misericordiam flectat; quantò magis efficaciusque parentes & familiares: flectat igitur illa vos; & si verè Christiani apud Superos audire cupitis, flectat ad opem efficacem, adeo ut nisi perfectâ te, partaque tam diu opratâ eorum libertate, nolitis conquirere. Ita quondam Benincosa Virgo Neapolitana, cum ex viris doctis intellexisset pro purgandarum animarum salute, fas esse se devovere; haud diu cunctata est. Pœnas quæ Bernardina primùm, tum etiam Catharina Sororibus luendæ supererant; in se lubens transfudit, summisque à Deo precibus obtinuit, ut eam voluntatem haberet fatam: Ergo acerbissimis doloribus decennium integrum pro Bernardinâ laboravit: Catharina cruciatus eam ad extremum usque exercentes prius illi vitam; quàm charitatem excusserunt, cui amare, quàm vivere dulcius fuit. Et profectò non breviorẽ à nobis opem exprimere deberent tam longæ flammæ lustralium pœnæ, cum nefas sit miserationem languere ac deficere, quando miseria adhuc, ut cum maximè, cruciat. Quamobrem quantum, & quamdiu licet piis manibus! opitulamini, ô quicumque amare ac misereri potestis, & cum cruciatuum moram commiseratione æquare nequeatis, affectus & subsidii magnitudine, vitæ brevitate supplete.

443.
Misericordia sit effe-
tax.

Ad majorem Dei, Deiparæque, gloriam, ac piorum Manium solatium.

Dr. Johann Baptist Schmitt
Paderborn